



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

197. Si quis viduam uxorem duxerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex Concilio Heliabitano.*

CXCIV. Si quis , post obitum uxoris suæ, sororem ejus duxerit , & ipsa fuerit fidelis , quinquennium à communione placuit abstineri , nisi mors coegerit. Concil. Eli- ber. c. 61.

De eadem re. *Ex Concilio Martini Pape.*

CXCV. Si qua mulier duos fratres , aut si quis vir duas sorores duxerit , à communione separentur usque ad mortem. In morte pro misericordia viaticum accipient. Martin. Bra- car. c. 79. Burchard. lib. 17. c. 2.

De filiola & commatre. *Ex epistola Rabani Cap. 20.*

ad Heribaldum Episcopum

Autisiodorensem.

CXCVI. De eo quod interrogasti , si ille qui filiolam suam , & de eo qui concubuit cum commatre sua spiritali , & de illo qui filium suum baptizavit , & cuius uxor eum de fonte suscepit , si postea in tali copulatione permanere possent , omnino inlicitum esse judicavimus. Nam in Concilio Mogontiacensi scriptum est cap. LV. *Nullus proprium filium aut filiam à fonte baptismatis suscipiat , nec filiolam nec commatrem ducat uxorem , nec illam cuius filium ad confirmationem ante Episcopum tenuerit. Vbi autem factum fuerit , separen-* Burchard. lib. 17. c. 24. Concil. Mo- gunt. sub Kat. M. c. 55. Lib. 5. Capi- tular. c. 100. Burchard. lib. 17. c. 25.

Si quis viduam uxorem duxerit.

Ex eodem.

CXCVII. Si quis viduam uxorem duxerit , & postea cum filiastra sua fornicatus fue- Rhab. ibid. Concil. Mo- gunt. sub Rhab. c. 56.

Lib. 5. Capi-
tular. c. 101.
Burchard. lib.
17. c. 9.

rit, seu duabus sororibus nupserit, aut si qua
duobus fratribus nupserit, seu cum patre & fi-
lio fornicata fuerit, tales copulationes anathe-
matizari & disjungi præcipimus, nec unquam
amplius conjugio copulari, sed sub magna di-
strictione fieri. [*Caput istud additum est ex*
codice manuscripto. Non extat enim in editione
Helmantadiensi.]

De eo qui filiolam suam polluit,
Vnde suprà.

Rhab. ibid.

Burchard. lib.
17. c. 16.

S. Gregor. lib.

4. dialcg.
c. 32.

C X C V I I I . Quàm detestabile & execrá-
bile scelus fit unicuique Christiano filiolam
suam constuprare testatur sanctus Gregorius
Papa in dialogis suis : ubi refert quendam ho-
minem polluisse filiolam suam, & quia negle-
xit pœnitentiam agere, subito miserabili mor-
bo corruptus expiravit, & sepultus, non so-
lum corpus, sed etiam omne sepulcrum, ignis
invisibilis consumpsit.

Item de incestis & eorum pœnitentia.
Ex Concilio Mogonciacensi.

Rhab. ibid.

Burchard. lib.
17. c. 8.

C X C I X . Si quis fornicatus fuerit cum
duabus sororibus, vel cum noverca sua, vel
cum amita sua, vel cum matre sua, vel cum fi-
lia patrui sui & avunculi sui, vel cum filia ami-
tae suæ sive materteræ suæ, vel cum nepte sua,
vel cum commatre aut filiola sua, sive quam
de fonte suscepit, vel ante Episcopum tenu-
erit, & si qua mulier simili modo fornicata fue-
rit, abstineat se ab ingressu domus Dei annum
unum; & eodem anno, nisi dominicis & festis
diebus, solummodo pane & aqua & sale ufa-